

X. STATUTI DEL 1378¹

[STATUTA COLLEGII DOCTORUM SCIENTIE MEDICINE.]

[425] In Christi nomine. Ad honorem et reverentiam omnipotentis dei nec non Beate Marie semper virginis gloriose matris eius, Beatorum confessorum Petronij et Ambroxij, Jeronimi et Augustini, Thome de Aquino et militantis Ecclesie doctorum ac Beatorum Cosme et Damiani tociusque celestis curie triumphantis, ac etiam ad magnificentiam et exaltationem populi et comunis Bononie et amatorum eiusdem et ad perpetuam doctrinam, regulam et observationem collegij doctorum scientie medicine Civitatis Bononie. Hec sunt statuta collegij predicti doctorum s[c]ientie medicine, vixa, cor[r]e[m]ta et examinata et etiam ex antiquis voluminibus constitutionum dicti collegij in formam redacta, ac de novo compillata per egregios scientie Medicine doctores, videlicet per magistrum Paulum de Buvalinis priorem dicti collegij, et per magistrum Petrum Aristotillis, Magistrum Martinum de Erris, Magistrum Guidonem de Privitis, Magistrum Baldesseram de Confortis, Magistrum Johannem de Barberijs, Magistrum Matheum de Varignana, Magistrum Johannem de Chazano, Magistrum Guidoctum de Henrigiptis, [426] Magistrum Petrum de Verignana, Magistrum Petrum de Castro Sancti Petri et Magistrum Johannem de Muglo, ex commissione eis facta per dictum collegium et publicata ac iurata et firmata et publicata in dicto collegio tempore honorabilis prioris et prioratus dicti magistri Petri de Varignana, honorabilis prioris dicti collegij, per infrascriptos doctores dicti collegij, videlicet per magistrum Petrum de Varignana priorem predictum, Magistrum Martinum de Erris, dictum magistrum Baldeseram, Magistrum Christopharum de Honestis, Magistrum Iohannem de Barberijs, Magistrum Matheum de Varignana, Magistrum Johanem de Chazano, Magistrum Guidoctum de Henrigiptis, Magistrum Johannem de Muglo et magistrum Francischum de Cultris, sub anno Nativitatis domini nostri Jesu Christi Millesimo trecentesimo septuagesimo octavo, indictione prima, die trigesimo mensis Junij, Pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini domini Urbani divina providentia pape vj, anno primo, et scripta et lecta per me Egidium condam ser Francisci de planorio Civem bon., publicum imperiali comunis Bonon. ac curie episcopalis Bon. auctoritate notarium, et nunc notarium dicti collegij, de mandato predicti magistri Petrj de Varignana et aliorum doctorum collegij predicti in ipso collegio presentialiter existentium.

¹ C. Malagola, *Statuti delle Università e dei Collegi dello Studio Bolognese*, Zanichelli, Bologna 1888, ristampa Torino 1966, pp. 425-450.

De collegio doctorum medicine civitatis bononie et qui et quales et quot numero esse debeant - Rubrica J

Constituimus et ordinamus quod nullus possit esse de dicto collegio prefactorum doctorum s[c]ientie medicine civitatis Bon. nec ad honores vel comoda dicti collegij directe vel indirecte admitti, nisi sit et fuerit vere civis natus civitatis Bon. ratione originis proprie et paterne, quam originem paternam sufficiat per tres vel quatuor testes fide dignos probare de publica voce et fama, sed origo propria probetur per quatuor testes fidedignos, qui sint cives Bon., et insuper quod reperiat in scripturis memorialium comunis Bononie vel notariorum publicorum comunis Bon., ipse, vel sui ascendentes, descriptus inter cives bon. et ad extima civium civitatis Bononie, et qui non fuerit directe vel per obliquum contra ipsum collegium vel eius honorem, et qui sit doctor habitatus, idest approbatus in privato examine, tamquam civis Bon., origine propria et paterna a duabus partibus doctorum dicti collegij, et presentatus ad publicum et privatum examen de consensu doctorum dicti collegij Bon. per dominum Archidiachonum civitatis Bon., seu alium vel alios dictum officium exercentes, et homo bone vite, conversationis et fame et de consensu doctorum collegij antedicti, scriptio prius celebrato cum fabis albis et nigris, iuxta modum et formam constitutionis sequentis approbatus in privata et publica [427] a dicto collegio et posito in dicto collegio. Et debeant esse dicti de dicto collegio, ad plus, collegiati et principaliter incorporati quindecim numero, quorum alter vel alteri possit vel possint esse presentans vel presentantes scolarem et tres Bononienses ut supra, supernumerarij ad plus, qui succedant loco absentium secundum ordinem infrascriptum. Et quod quilibet qui voluerit intrare dictum collegium, s[c]ilicet in numero predicto ipsius, teneatur observare infrascripta, s[c]ilicet dare petitionem suam in scriptis priorj, qui pro tempore fuerit, in presentia duorum ad minus doctorum dicti collegij, qui prior presentet dictam petitionem collegio doctorum vel duabus partibus eorum. Et ipse talis, qui aggregarij voluerit dicto collegio, teneatur antedicto priori et prefatis duobus doctoribus facere de omnibus supradictis et solvere et depositum facere, ante congregationem fiendam de dicto collegio pro eius introitu, dicto domino priori vel notario dicti collegij de decem libris bon. comunicandis statim facto dicto introitu dicti collegij inter doctores dicti collegij incorporatos et collegiatos principaliter, ut supra, et principaliter existentes in civitate bon., et absentes rei publice causa; et statim facto scriptio, ut supra, et obtento quod in dicto collegio aggregarij debeat, teneatur ipse talis iurare in manibus prioris, qui pro tempore fuerit, corporaliter ad sancta dei evangelia, tactis scripturis, quod servabit constitutiones dicti collegij factas et fiendas et omnia et singula contenta in dictis constitutionibus et qualibet earum; et quod re, verbo vel facto numquam erit contra dictum collegium [et] eius honorem et toto posse defendere dictum collegium Jura, Jurisdictiones et honores collegij prelibati, et quod obediet priori ipsius collegij in omnibus que spectant ad eius officium et ad honorem collegij antedicti et in alijs lictis et honestis. Modum autem succedendi supradictorum supernumerariorum esse volumus et declaramus in hac forma, videlicet quod loco cuiuslibet mortui naturaliter, primus supernumerarius quo ad omnia succedat, et sic successive loco secundi et ceterorum secundus, et ceteri loco eorum, attento ordine prioratus dicti collegij, inter eos succedant; in loco vero cuiuslibet absentis non causa rei publice succedant modo supradicto, dicti tres supernumerarij in omnibus preterquam in his que reperirentur prohibita ex forma presentium constitutionum, dum tamen, si revertatur absens, locum suum statim ipso jure et facto recuperet. Et subrogati vel subrogatus iuxta formam predictam loco mortuorum aut absentium ut supra, ultimo loco, numero adimpleto, secundum formam predictam doctorum collegiatorum et incorporatorum ipsis vel altero eorum revertentibus, ut supra, ipso jure et facto locum tantum suum primum supernumerariorum recipiat, salva semper constitutione fienda de privilegijs concedendis filijs et fratribus doctorum tam viventium quam mortuorum. Declarantes etiam quod, in quacumque parte nostrarum constitutionum fiat mentio de Bononiensi vel de cive Bonon. vel de vero Bononiensi, intelligatur, ut supra in principio huius constitutionis, de eo qui est vere et naturaliter civis Bon., origine propria et paterna, et secundum formam nostre constitutionis et reformationis posite sub Rubrica de modo et forma conservandi studium in civitate

Bononie etc. Qui vero fuit seu fuerit admissus ad privatum examen in dicta s[c]ientia medicine non tamquam civis Bon. ratione originis proprie et paterne, nec satisdederit de assumendo in dicta s[c]ientia privatum et publicum examen tanquam civis Bonon. ratione originis proprie et paterne, et qui alias sole[m]pnitates in dictis nostris constitutioni[bus] contentas non observaverit, perpetuo non possit esse de dicto collegio nec ipsi collegio aggregari, nec aliquo comodo et honore dicti collegij gaudere.

De electione novi prioris - Rubrica IJ

[428] Statuimus et ordinamus quod prior dicti collegij eligatur ad breviam et ipsius ele[c]tio et creatio fiat et fieri debeat modo et ordine infrascripto, videlicet quod scribantur et scribi debeant omnia nomina doctorum incorporatorum de dicto collegio in cartis membranarum et brevibus equalibus que publicari et poni debeant in una pisside, et tempore electionis fiende prior, qui pro tempore fuerit, teneatur et debeat congregari facere doctores dicti collegij per quinque dies ante finem sui officij, sub pena viginti quinque librarum bon. et privationis officij prioratus per spatium quinque annorum. In qua congregatione interesse debeant ad minus due partes doctorum dicti collegij, presentialiter existentes in civitate Bononie. Et ad electionem novi prioris procedere teneantur modo et forma infrascriptis, videlicet quod de dicta pisside extrahatur per dictum priorem vel per antiquiorem doctorem dicti collegij, secundum ordinem dicti collegij tunc existentem in dicta congregatione, unum de dictis brevibus prout sors dederit, et sic ille qui extractus fuerit sit et esse intelligatur prior dicti collegij pro tribus mensibus proxime futuris post finitum officium eius pre[de]cessoris; demum ipsum breve sic extractum, remittatur et reponatur et salvetur in alia pisside; et postea ita succes[s]ive et subsequenter, tempore cuiuslibet electionis, extrahatur unum breve de dicta pisside in qua primitus fuerant omnes positi, et reponantur in alia donec omnia breviam erunt de ipsa pisside extracta modo predicto. Et ipsis omnibus sic extractis, iterum et de novo reponantur et mictantur in dicta prima pisside et extrahantur tempore dicte electionis et reponantur in alia modo et ordine predicto, donec erunt omnia extracta et sic successive. Cuius primj prioris sic creati et electi, modo predicto officium incipere debeat finitis tribus mensibus prioris tunc suum officium finire debentis, et duret tribus mensibus, ut supra, et non ultra, et aliorum priorum, sic creandorum, incipere debeat finitis dictis tribus mensibus et duret ut supra. Qui prior sic electus, tempore dicte electionis, si presens fuerit, vel in proxima congregatione fienda de dicto collegio et doctoribus ipsius juret et jurare teneatur cum effectu se vere esse civem Bonon. natione propria et paterna, et etiam jurare teneatur et debeat corporaliter ad sancta dei evangelia, manu tactis scripturis, in manibus tunc prioris, collegium prelibatum eiusque jura totis viribus defendere, et constitutiones eiusdem collegij observare iuxta ipsius possibilitatem, et non pati collegium predictum congregari, nec etiam congregari facere pro aliqua re vel facto quod videatur reddere posse seu reddere in da[m]pnum, dedecus vel obprobrium dicti collegij. Et quemlibet doctorem dicti collegij venientem contra constitutiones ipsius collegij, vel aliquam earum verbo vel facto, condemnare secundum modum et formam dictarum constitutionum, et penas, in quibus incurrisset seu incurrisset vigore dictarum constitutionum, exigere seu exigi facere infra tempus eius prioratus officij, sub pena dupli eius quod fuerit conde[m]pnatus ille a quo exigere debuerit. Item etiam quemcumque eidem domino priori in secreto com[m]issa per dictum collegium, in secreto retinere et non propalare, nisi si et quando processerit de voluntate doctorum dicti collegij. Et etiam quod in dicto collegio non proponet nec proponi consentiet directe vel per obliquum quod aliqua constitutio vel eius pars tollatur vel dispensetur, nisi si et in quantum caveretur et permitteretur ex forma dictarum constitutionum vel alicuius earum, vel nisi processerit de voluntate trium partium ex quatuor partibus doctorum dicti collegij principaliter existentium in civitate Bon., scriptinio cum fabis albis et [429] nigris inter ipsos primo legitime celebrato. Et quod congregabit et congregari faciet predictum collegium totiens quotiens videbitur congruum et opportunum fore pro bono, honore, comodo et utilitate dicti collegij et doctorum eiusdem et non aliter nec alio modo nec alia causa, et etiam quotiens fuerit requisitus per tres doctores dicti collegij. Volumus etiam quod post electionem prioris eligantur duo consiliarij secundum formam predictae constitutionis de electione prioris.

De officio et jurisdictione domini prioris - Rubrica III

Volumus autem quod iurisdictio dicti domini Prioris sit hec, videlicet quod possit, teneatur et debeat congregare et congregari facere dictum collegium et doctores ipsius ad minus semel in mense pro omnibus necessarijs vel opportunjs aut quomodolibet utilibus dicto collegio et doctoribus ipsius, sub pena XL solidorum bon. pro qualibet vice, dum tamen congregari facere non possit pro aliquibus vel aliquo prohibitis vel prohibito in presentibus constitutionibus, sub pena ipsius periurij et quinque librarum bon. pro qualibet vice qua contrafecerit vel predicta facere obmiserit, exigenda et applicanda, ut supra. Et incontinenti in congregatione predicta teneatur proponere quecumque non prohibita, ut supra, cum fuerit petita, prius tamen lecta posta, super qua dictum collegium providere debet vel debeat, petendo consilium a doctoribus dicti collegij super quo petitur provideri, et secundum formam doctorum et consiliariorum, tamen ad partitum cum fabis albis et nigris scrutinium faciendo de quolibet consilio per se, donec alterum ex predictis consilijs fuerit approbatum, manendo in electione dicti prioris; quod consilium proponere et preponere velit ex dictis consilijs, et voces plurium numero doctorum ibidem presencialiter existentium sequi; que fabe colligi debeant per antiquiorem doctorem dicti collegij ibidem presentialiter existentem, in quodam busollo, qui apperiri debeat in presentia dictorum doctorum, ita quod publice a doctoribus ibidem existentibus videatur et videri possit. Que partita, provisiones et omnia fienda per priorem dicti collegij et doctores ipsius scribi debeant per notarium dicti collegij, et valeat, possit et teneatur ipse prior cognoscere summarie et de plano sine strepitu et figura iudicij, de omnibus et singulis questionibus, que verterentur et verti possent inter prefatos doctores, occasione collegij prelibatj vel quacumque alia occasione descendente principaliter occasione dicti collegij et jurisdictionis eiusdem, dum tamen eas decidere non valeat sine consilio duorum doctorum dicti collegij, eligendorum per doctores dicti collegij, vel maiorem partem eorum. Ac etiam multare et condemnare usque ad quantitatem decem soldorum Bonon. ad plus, quemlibet ex doctoribus existentibus presentialiter et principaliter et presentibus in civitate Bon., requisitis per Bidellum dicti collegij, qui non interfuerint congregationi dicti collegij, quam requisitionem facere fieri teneatur dictus prior per Bidellum predictum per medium diem ante congregationem fiendam de dicto collegio ad minus, ita quod verisimiliter ab omnibus doctoribus sciri poterit, dum tamen predictus vel predicti doctores non fuerint impediti ex probabilij vel necessaria causa, declaranda per dictum priorem in sequenti congregatione fienda, et eius declarationi stari debeat; ac etiam omnes et singulos contrafacientes contra formam constitutionum dicti collegij in penis in dictis constitutionibus contentis; et que multa seu pena applicetur et exigatur ut supra. Predicta autem prohibita non debeat in aliqua congregatione proponere nec proponi vel ar[r]engari, dimittere, directe vel per obliquum, dispositione facta vel non facta, sub pena prioris [430] predicto periurij et decem librarum bon. pro qualibet vice, et cuilibet doctori contravenientj in predictis vel non observantj predicta, pro qualibet vice, periurij et decem librarum bon. et privationis collegij. Que omnes pene applicari, exigi et dividi debeant, ut supra, et nichilominus ipsi iure et facto dum dictus prior accedere velit ad predicta vel firmus steterit in congregatione dicti collegij pro predictis vel aliquo predictorum, sit privatus collegio antedicto et eligi debeat novus prior secundum formam superius traditam. Et quod super predictis restitutio aliqua fieri non possit, dum tamen in permissis, ut supra, et non pecialiter prohibitis, dictus prior aliquid proponere, dicere, facere non possit nisi adsint personaliter due partes doctorum collegij existentes in civitate Bon. Et quod prefati doctores se non possint congregare sine mandato dicti prioris, vel subrogatj loco eius, ut supra, sub pena cuilibet doctori predicta non observantj quinque librarum bon. Mandantes quod omnia et singula contenta in volumine presentium constitutionum, prout scripta sunt, in qualibet sui parte debeant inviolabiliter per priorem dicti collegij vel subrogatum, ut supra, qui pro tempore fuerit, observari, et per quemcumque doctorem collegij prelibatj observari, sub penis in dictis constitutionibus contentis. Adhicientes etiam in predictis quod, ubi voces essent equales alicuius partitj factj inter doctores, ut supra, tunc dictus prior possit et valeat gratificarij cui parti voluerit, et parti cui gratificaverit stari debeat modo et forma predictis. Et quod Dominus Potestas civitatis Bononie teneatur

dare favorem et auxilium dicto priori in penis exigendis per dictum priorem vel Massarium, aut cui commissum fuerit ut exigere debeat. Mandantes etiam quod dictus prior omnes penas pecuniarias exigere debeat infra mensem a die condemnationis, si tempus eidem adherit, alias prior sequens teneatur exigere ante mensem, a principio sui officij incipiendo, sub pena duplj condemnationis; et quod nulla quantitas dicte pecunie vel alicuius condemnationis possit per ipsum distribui, nisi de consensu omnium doctorum, seu duarum partium, scriptinio celebrato, sub pena priorj duplj dicte quantitatis pecunie contrafacientj.

De modo et forma conservandi studium in civitate bon. circa sedem ordinariam in medicina, et de presentatione ad privatum vel publicum examen fiendum per doctores medicine – Rubrica

IIIJ

Considerantes quod propter lecturam ordinariam attributam doctoribus civibus bon. in medicina et continuatam per eos, studium in ipsa civitate est auctum et conservatum, constituimus et firmamus quod ipsum collegium et doctores eiusdem collegij vinculo sacramenti, ab eis et quolibet eorum prestandj, et precise, teneantur facere et curare quantum in eis est, et eorum fuerit possibilitas, quod doctores Medicine cives civitatis Bonon., legant et presint lecture ordinarie de mane, ut moris est et fuit per tempora logiora. Et quod ipsi doctores Bonon. nativi, ut supra, tantum, et nullus alius, presint lecture supradicte ordinarie, vel legant ordinarie de mane. Et quod per aliquem quovis modo, collore vel causa non possit ipse doctor civis Bonon. impediri, vel ab eis doctoribus civibus Bon. removeri predicta sedes ordinaria. Et ad huiusmodi observationem teneantur dicti doctores et collegium prestare auxilium, consilium et favorem ac juramentum pro premissorum efficaci observatione, s[ic]ilicet, si contingat, quod deus advertat, [431] aliquem doctorem Bonon., ut supra, quovis modo impediri vel molestarj in dicta lectura, vel alium doctorem quam civem, ut supra, velle legere ordinarie de mandato vel preponj ipsi lecture quovis modo vel collore, ad eius instantiam vel non, teneantur omnes doctores dicti collegij toto posse resistere quibuscumque modis etiam per desistentiam a lectura doctorum predictorum civium, et pro desistentia a cura infirmorum et a consilijs omnium doctorum in quibuscumque casibus emergentibus in civitate bon. Et prior, qui pro tempore fuerit, vel alius eius locum tenens, tunc teneatur mandare predictas desistentias et alia quecumque viderint expedire pro observatione predictorum, sub pena ipsi priorj vel eius locum tenentj quingentorum florenorum auri, applicandorum pro tertia parte camere com[m]unis Bon. et pro alia tertia parte collegio antedicto et pro reliqua tertia parte domino Potestatj Bon. Et ipse dominus Potestas ex officio ipsius teneatur dictam penam, ut supra, exigi facere et executioni mandare. Et nichilominus ipso jure et facto sit privatus ab ipso collegio et ad eandem penam teneatur quilibet doctor ei non parens in predictis mandatis desistentiarum vel aliquo eorum. Volumus etiam quod quilibet forensis examinandus antequam admittatur ad privatum examen, jurare teneatur tempore presentationis de ipso fiende priori, in manibus prioris, qui pro tempore fuerit, vel offitium prioratus gerentis, vel alterius cui prior vel eius vices gerens com[m]iserit, de non legendo ullo tempore sponte vel coacte cum alicuius mandato aut sine, in medicina de mane ordinarie in civitate bon., vel lecturam de mandato suscipere directe vel indirecte, nec non similiter jurare de non procurando vel attentando aggregari collegio predicto vel in eo assumj et de non presentando ullo tempore per se vel alium aliquem scolarem ad aliquod examen privatum vel publicum fiendum in dicta scientia medicine, et de non tradendo per se vel alium ullo tempore alicui promovendo ad doctoratum in dicta scientia medicine in ipsa civitate Bon. librum [vel] insignia aliqua doctoratus, et de non exercendo aliquem actum de predictis vel aliquem alium, pertinentem ad doctores collegij tantummodo, sponte vel coacte, cum alicuius mandato vel sine, ut supra, sub pena quingentorum florenorum aurj a quolibet et qualibet vice exigenda, et tocies com[m]it[t]enda quotiens contrafactum fuerit, et applicanda ut supra; que pars applicanda collegio non possit remitti directe vel per obliquum. Que omnia collegium et doctores dicti collegij effectualiter et precise observare debeant, ut supra. Teneatur etiam dictus forensis, presentandus ut supra, jurare, ut supra, de non veniendo ad publicum examen vel recipiendo aliqua insignia doctoratus prius alibj quam in civitate bon. Providentes etiam quod contra predicta vel aliquod predictorum non possit ar[r]ingarj, consuli aut fieri

aliqua dispensatio, suspensio, annullatio vel revocatio modo aliquo, causa vel colore. Et si contingeret per aliquem vel ab aliquo secus fieri in predictis vel aliquo predictorum, arengando, consulendo, proponendo vel consenciendo tacite vel expresse aut pro venientj ad aliquem actum per quem predicta vel aliquod predictorum peterentur, obmit[t]erentur vel optinerj possent directe vel per obliquum, ipso jure incidat in penam quingentorum florenorum aurj com[m]ittenda et applicanda, ut supra. Et nihilominus talis contrafaciens omni honore, jure et com[m]odo dicti collegij sit ipso jure et facto privatus perpetuo, in quo nunquam possit aggregarij. Civem autem civitatis Bon. intel[lig]imus, quantum ad nostras constitutiones, eum qui sit vere et naturaliter civis Bonon. originarius, origine propria et paterna, vel propria et avita, vel propria et peravita. Propria autem debeat vere probari, ut in principio, sub Rubrica *de personis que possunt esse de collegio*, habetur. Que probatio fiat et fieri debeat coram priore collegij, qui pro tempore fuerit, nec non et quatuor doctoribus de antiquioribus [432] dicti collegij specialiter ad hoc electis et deputatis per collegium antedictum, qui antiquiores sint secundum ordinem dictj collegij. Qui prior et quatuor doctores predicti simul omnes recipiant probationes predictas per se tantum et fideliter et diligenter advertant, sub vinculo juramenti, ne aliqua fraus committatur. Et si ipsi vel aliquis alius doctor dicti collegij sciret vere vel presumptive, vel probabiliter titubaret, aliquam fraudem committi, teneatur statim notificare priorj dictj collegij vel eius locumtenentj; qui prior, vel eius locum tenens, teneatur statim ipsum collegium congregare, et doctoribus ipsius collegij hoc notificare, ut ipsi provideant omnibus modis et remedijs ne fiat fraus aliqua, tenendo in secreto nomen doctoris, qui hoc notificaverit, si ipse doctor voluerit, sub pena cuilibet doctori non notificantj, ut supra, ducentorum florenorum aurj applicandorum ut supra. Et per notarium collegij probationes et alia in actis reducantur. Qui prior et alij quatuor doctores antiquiores ante omnia jurent corporaliter ad sancta dei evangelia, in predictis, remotis hodie et amore, timore, prece et precio, se dictas probationes legaliter et fideliter audire et recipere secundum quas eum civem vel non civem quo ad predicta pronunciet, et pronunciare teneatur prior collegij, secundum relationem dictorum doctorum si concordantes fuerint, aliter prout maior pars eorum concors fuerit. Que pronunpciatio et declaratio fiat in presentia collegij et doctorum eiusdem; cui pronunpciationi stetur, nec contra ipsum quoquomodo fieri possit aut disponj, sub pena periurj.

Quod teneantur observare doctores de collegio doctorum medicine tam in eorum habitu quam in eorum incesso – Rubrica V

Constituimus et ordinamus quod quilibet doctor medicine teneatur et debeat incedere in actu honesto et in habitu decentj honorj et statuj doctoratus. Et quod nullus ex doctoribus dicti collegij debeat ire ad examen alicuius scholaris publicum vel privatum, seu ad puncta alicuius scholaris civis vel forensis, vel ad exequias alicuius doctoris nostrj collegij, absque caputeo foderato vario vel bireto, nisi tempus fuerit pluvie vel caloris aut aliud inducat; et si aliquis in aliquo predictorum contrafecerit, ipso facto incurrat in penam decem solidorum bon. applicanda collegio. Et quod nullus doctor nostri collegij possit transire limites sue habitationis per treginta perticas sine uno socio pedestre vel equestre.

[Quod] conservare debent vel debet doctores seu doctor aliquem scolarem civem vel forensem presentantes vel presentans – Rubrica VI

Constituimus et ordinamus quod quilibet doctor, qui vult aliquem scolarem presentare ad publicum vel privatum examen, debeat esse de dicto numero collegiatorum quindecim vel de supernumerarijs succedentibus loco dictorum incorporatorum et collegiatorum ratione absentie, ut supra, ipsorum collegiatorum et incorporatorum. Et debeat sub eius cons[ci]entia inquirere antequam aliquem scolarem presentet, de vita et honestate dicti scholaris presentandj, et ipsum in camera examinare; et si reperiat ipsum esse sufficientem secundum eius conscientiam, tunc presentet eum domino Archidiachono vel alij [433] seu

alijs ad quem, seu quos, dictum officium pertineret et subsequenter priori collegij iuxta morem consuetum, dum tamen presentare non valeat aliter quam scolarem forenses minorem viginti annis, nec aliquem scolarem qui non audiverit in medicina saltim quinque annis, vel ex comuni fama doctori constet ipsum in artibus fore sufficientem. Et si fuerit licentiatum in artibus quatuor annis et non legerit chatedraliter aliquem tractatum, seu libellum in medicina, et qui non respondiderit seu disputaverit in scolis duas questiones generales vel quisionem unam generalem et unum quo[d]libet, de quo tempore credatur sacramento dicti scholaris, prestando in manibus prioris dicti collegij vel alterius de mandato dicti prioris, si de contrario non sit fama, et tunc teneatur scholaris fidem facere de predictis. Et die examinationis teneatur dictus doctor ire ad domum dicti scholaris et eum iterum examinare et ipsum audire super lectione eidem in punctis assignatis. Et quod nullus doctor dicti collegij civitatis bon. possit vel debeat aut eidem liceat manere vel stare alicui examini privato vel publico, nisi primo et ante omnia prestitum sit sacramentum, per scolarem forenses presentatum, priori collegij, qui pro tempore fuerit, tempore presentationis fiende priorj collegij predicti, vel ante, de non veniendo contra collegium antedictum et constitutiones ipsius collegij directe vel per obliquum. Et quod non petet vel peti faciet per se vel alium aliquo modo vel ingenio se remitti vel poni in collegio antedicto, nec, admissus quoquomodo, accedet ad dictum collegium, sub pena cuilibet doctorj contrafacientj et pro qualibet vice periurij et ultra XXV. librarum bon. collegio antedicto applicanda et exigenda per priorem collegij antedicti, qui pro tempore fuerit. Et quod prior dicti collegij qui negligens fuerit in exactione pene predictae, similem penam incur[at], applicandam et exigendam ut supra. Adhucientes quod nullus doctor dicti collegij possit aliquem presentare ad publicum vel privatum examen, nisi primo et ante omnia solverit condempnationes in quibus reperitur conde[m]pnatus.

Rubrica VIJ

Quoniam propter importunitatem pectentium multa inconvenientia aliquando conceduntur, consequunturque, que non concederentur, et sic, unde debet ius oriri, oppositum aliquando subsequitur, presenti morbo obviare volentes, hac constitutione decernimus et firmamus quod quocienscumque contigerit de cetero aliquam fieri postquam in collegio antedicto super quacumque re, causa vel facto, que non fuerit admissa, amplius non possit proponi per ipsum priorem nec super ea, aut contentis in ea, consuli aut arrearari tempore sui prioratus vel per alium quemcumque subrogatum vel subrogandum loco ipsius prioris, vel aliquam aliam penam vel per quemcumque alium doctorem dicti collegij, pena ipsi priorj vel subrogato vel subrogando loco ipsius prioris, contrafacienti librarum XXV. bon., et privationis officij sui prioratus pro qualibet vice. Et cuilibet alteri doctori contrafacientj decem librarum bon. pro quolibet et qualibet vice, et nichilominus quidquid fuerit firmatum contra formam predictam, dispensatione facta vel non facta, ipso jure et facto sit vanum et cassum.

Rubrica VIIJ

Hac nostra presenti constitutione firmamus, quod doctores nostri collegij congregari et convocari debeant in Ecclesia cathedrali Bonon. quodcumque convocati fuerint [434] per priorem dicti collegij aut per alium eius nomine subrogatum, seu pro parte ipsius prioris vel subrogati, vel alibi, dum tamen non convocentur diebus pascallibus dominicis corporis et sanguinis Christi, assumptionis beate Marie, diebus apostolorum, sancti Petronij, sancti Florianij, sancti Johannis Baptiste et sancti Laurentij, nisi ex causa necessaria fiat congregatio, que arbitrio prioris consideretur. Et unusquisque doctor, qui vocatus fuerit, debeat interesse, nisi impeditus fuerit iusta et rationabili causa, sub pena contenta in constitutione posita sub rubrica de electione novi prioris. Collegium autem ipsum congregari volumus ex causis permissis et concessis in nostris constitutionibus et ex alijs licitis causis et honestis; ex prohibitis vero causis nullo modo possit congregari, sub penis contentis in nostris constitutionibus.

Rubrica VIIIJ

Constituimus et ordinamus quod quilibet doctor collegij nostri antedicti presentans scolarem subiciendum examini alicui privato, teneatur et debeat curare et facere cum effectu, omni exceptione remota, quod scholaris per eum presentandus presentet, finito examine, priori collegij, qui pro tempore fuerit, ensenium vini et confectionum, videlicet duas inghistarias vini de malvaxia et duas alterius boni vini albi et quatuor libras confectorum bonorum, et decens et simile presentari doctori presentanti, et tempore quo eisdem presentabuntur, et in publica unum anullum priori valloris XX. solidorum bon. et birectum et cirotecas valoris X. solidorum bon., precipientes etiam quod similem exenium fiat, scilicet de confectionibus et vito in privata, et de anullo et cirotecas in publica doctori, seu doctoribus sub quo vel quibus fuerit promotus. Et si dicto priori dictum exenium non fuerit sibi presentatum, ut supra dictum est, quilibet doctor presentans teneatur exenium sibi presentatum domino priori transmittere vel similem infra duos dies post examinationem scholaris, et nihilominus incidat penam centum soldorum bon. Mandantes quod contra predicta vel aliquod predictorum in presenti constitutione descriptorum, perpetuo dispensari non possit, sub pena periurij, et nichilominus, si contrarium fieret, ipso jure sit nullum.

Rubrica X

Constituimus et ordinamus quod doctores Bon., ut supra, possint legere in scientia medicine in civitate Bon. quacunque hora libros ordinarios ordinatos et ordinandos per eos ad quos spectat, horis consuetis, prout ad eorum processerit voluntatem. Et quod dicti doctores vel aliquis eorum non audeat vel presumat loco eorum vel alterius eorum subrogare aliquem ad legendum vel permittere legere ordinarie dictos libros in scientia medicine, de mane, qui non sit civis, ut supra, civitatis Bon., nec paciatur quod aliquis subrogetur vel pro eo legat, sub pena X. lib. bon.; quam penam si non solverit infra octo dies post mandatum domini prioris, ipso jure et facto privatus sit et esse intelligatur de collegio donec solverit dictam penam. Et quod nullus qui non sit vere civis Bon. originarius paterna et propria origine, audeat vel presumat legere in dicta civitate bon. de mane dictos libros. Et quod doctores procurent toto posse suo, quod presens constitutio inviolabiliter observetur.

Rubrica XJ

[435] Cum insurgat necessitas propter peragenda negotia dicti collegij, notarium specialem ac specialem bidellum habere, qui officia limitata habeant et habere debeant, et cum omnis labor optet premium, hac nostra constitutione providemus, ordinamus, quod in quacunque electione fienda de notario et bidello collegij antedicti hic modus et forma debeat observari, videlicet quod dictus prior collegij, qui pro tempore fuerit, post mortem vel capsationem presentis notarii vel bidelli, vel alterius notarii vel bidelli, qui pro tempore fuerit, infra terciam diem debeat notificare, et intimare doctoribus dicti collegij, et in dicto collegio, qualiter necessarium et opportunum est procedere ad electionem notarii novi seu bidelli, secundum quod casus acciderit, et quod quilibet doctor, qui sciret vel cognosceret aliquem idoneum et sufficientem ad dictum officium vacans exercendum, debeat nomen, prenomen et cognomen in scriptis dare dicto domino priori, dum tamen talis sit homo bone vite, conditionis et fame et civis civitatis bononie, origine propria et paterna, maior XXV annis, bonus, sufficiens et idoneus notarius et in societate notariorum Civitatis bononie descriptus ante per quinque annos, et qui artem notariatus Bononie et legaliter publice exercuerit et exercent. Et bidellus sit civis civitatis Bon. ratione originis proprie, et homo bone conversationis, vite et fame et maior XXV annis, sub pena cuilibet doctori danti nomen alicuius contra formam predictam, XX

soldorum bon., a qua pena, ratione ignorantie, aliquo modo se non valeat excusare, retinenda per priorem collegij antedictj, qui pro tempore fuerit, et dividenda inter doctores dicti collegij principaliter incorporatos, ut supra. Qui prior infra octo dies post dictam notificationem teneatur et debeat, sub pena quinque librarum bon., retinendam per subsequentem priorem, vel eius vices gerentem et dividendam inter dictos doctores, facere congregari collegium antedictum. Et in dicta congregatione publicare omnia nomina sibi data in scriptis per dictos doctores vel eorum alterum; et proponere quis eorum videtur dicto collegio et doctoribus ipsius sufficientior et ydonior ad dictum officium vacans exercendum. Et ille qui plures voces habuerit secundum quod, sit et esse intelligatur dicti collegij officialis et ad dictum officium de quo agitur exercendum. Et electio que reperiatur facta contra vel preter formam predictam, et de persona que non sit conditionis et qualitatum predictarum, ipso jure sit nulla; ac etiam comoditatem aliquam vel beneficium percipere non valeat neque possit. Notarij et bidelli electi secundum formam predictam ac etiam notarius et bidellus, qui nunc est, teneatur jurare in manibus dominj prioris, qui pro tempore fuerit, ad omnem requisitionem dominj prioris predicti, eorum officia bene, diligenter et solíciter sine aliqua fraude vel malicia exercere et administrare, et parere et obedire eidem domino priori et doctoribus collegij antedicti in hijs que spectant ad eorum officia in omnibus licitis et honestis. Officia vero dictorum notarij et bidellj volumus esse in hac forma, videlicet quod notarius dicti collegij, qui nunc est vel pro tempore fuerit, teneatur et debeat scribere et in publica forma redigere in cartis pecudinjs vel edinjs omnes presentes constitutiones et de hijs facere duas copias, quarum copiarum una claudetur et sigilletur sigillo collegij doctorum predictorum, et deponatur ad perpetuam rei memoriam in sacristia et penes sacristam fratrum minorum de bononia; alia vero remaneat et remanere debeat penes notarium dicti collegij, vel penes priorem collegij, qui pro tempore fuerit, et continue ad requisitionem prioris, qui pro tempore fuerit, ad congregationes fiendas per priorem, qui pro tempore [436] fuerit, una cum doctoribus dicti collegij interesse. Et scribat in libro suo, quem penes se debeat retinere, omnia et singula actitanda et fienda per dictum dominum priorem et doctores ipsius collegij ad dictum collegium spectantia et pertinentia, et loca congregationis, annum, mensem et diem et fabas albas et nigras dare predictis doctoribus quando partita ponuntur per dictum priorem; et habere unum busolum in quo debeant stare et poni fabe, que dantur per prelibatos doctores. Quem busolum debeat habere et tenere in manibus antiquioris doctoris dicti collegij separatus a doctoribus collegij antedicti. Et postquam fabe fuerint connumerate per priorem collegij antedicti vel eius vices gerentem scribere numerum dictarum fabarum et quid obtentum fuerit, et in dicto libro scribere et redigere omnia que fiunt. Et etiam scribere omnes electiones priorum dicti collegij et officialium ipsius, a[c] omnes et singulos actus congregationis et congregationum, factos et fiendos et gestos et gerendos per dictum priorem et collegium, scribere in dicto libro prout processerit de voluntate dicti dominj prioris; et generaliter omnia et singula facere et exercere que videbuntur utilia vel necessaria et opportuna fieri pro collegio prelibato et doctoribus ipsius, iuxta ipsius notarij possibilitatem. Bidellus vero predictus eodem modo et forma teneatur et debeat ad requisitionem prioris, qui pro tempore fuerit, collegium dictorum doctorum et doctores ipsius collegij requirere ad congregationes fiendas et ibidem interesse continue in horis sibi impositis et iniunctis, et iniungendum et imponendum per dictum priorem, et ad omnem locum accedere una cum dicto priore et collegio doctorum ipsius quotiens fuerit necessarium et opportunum et ad omnem alium locum pro libito voluntatis dicti dominj prioris et collegij doctorum predictorum; et generaliter omnia et singula facere, dicere et exercere et adimplere, ac cum effectu mandare, que fuerint sibi iniuncta, ut supra. Et condempnarij possit vel possint notarius et bidellus et quilibet eorum per priorem, qui pro tempore fuerit, incontinenti post quinque dies, videlicet, notarius usque ad quantitatem soldorum V. bon. nisi aliqua iuxta et rationabili causa intervenerit, que debeat probari vel improbari per dominum priorem una cum duobus doctoribus dicti collegij, quos elegerit dictus dominus prior qui pro tempore fuerit, et bidellus in soldis tribus bon., nisi iusta causa interveniret, applicanda ut supra. Sallaria autem sua debeant esse tanta, in hac forma, videlicet, quod notarius dicti collegij, qui nunc est vel pro tempore fuerit, habeat et habere debeat a quolibet scolare cive vel forensi, cuiuscumque status et conditionis existat, transire volentj ad privatum examen in Medicina, soldos decem Bon., et in publica soldos viginti bon. Et dictus Bidellus teneatur scopare banchas doctorum et habeat, et habere debeat a quocumque scolare tam cive quam forense, volente transire, ut supra, sicut

notarius, soldos decem bon. In publica vero debeat unusquisque eorum pro publica soldos vigintj bon. habere. Et quod nullus doctor dicti collegij aliquem ex predictis debeat presentare ad aliquam publicam, vel privatum examen, nec aliqua insignia doctoratus dare, nisi prius satisfecerit notario et bidello, prout superius est scriptum, sub pena cuilibet doctorj venienti contra predicta vel aliquod predictorum quinque librarum bon., applicandarum collegio antedicto et dividendarum, ut supra. Et quod aliquis ex doctoribus dicti collegij non debeat interesse examinationi ipsius conventuandj sub pena quadraginta soldorum bon., applicandorum et dividendorum, ut supra, nisi prius satisfactum fuerit dictis notario et bidello, ut superius scriptum est. Et hoc pro honore dicti collegij et conventuandi.

Rubrica XIJ

[437] Constituimus et ordinamus et firmamus quod constitutiones et sigillum nostri collegij debeant esse penes priorem dicti collegij, qui pro tempore fuerit; quas constitutiones et sigillum teneatur dictus prior statim in coadunatione, quam primo fieri fecerit novus prior, reassignare sequenti priorj. Et ipsam reassignmentem facere scribj et redigi in actis notarij dicti collegij, ut sic possint esse salve perpetuo, sub pena decem librarum bon. priori obmittentj facere predicta, vel aliquod predictorum, exigenda et dividenda inter collegium. Et si contingerit perdi dictas constitutiones vel sigillum, teneatur dictus prior, penes quem erant dicte constitutiones et sigillum, infra unum mensem, omnj exceptione remota et reiecta, facere exemplare de novo dictas constitutiones ad exemplum illarum que erunt in sancto Francisco, scilicet in sacristia dictorum fratrum minorum, omnibus suis expensis, manu notarij collegij prelibatj. Et facere fieri sigillum tale ut est illud quod habet ad presens dictum collegium, omnibus expensis prioris predicti, qui non reassignaverit dictas constitutiones et sigillum, omni exceptione cessante, sub pena XXV librarum bon. exigenda et dividenda, ut supra. Mandantes insuper quod nullus tante temeritatis vel audacie sit, qui audeat vel presumat sigillare sigillo dicti collegij aliquam literam sine licentia maioris partis doctorum collegij predicti, de qua licentia constet per acta dicti notarij dicti collegij, sub pena perpetue privationis de dicto collegio ipso jure et facto. Et nichilominus [sub] pena XXV librarum bon. priorj collegij, penes quem fuerit dictum sigillum, nisi expresse suam ignorantiam probet.

Rubrica XIIJ

Constituimus et ordinamus quod, si contingat aliquem doctorem nostri collegij migrare de hoc seculo et eius corpus sepelliri debere in civitate bon. vel suburbis, quod dictus prior, qui pro tempore fuerit, teneatur et debeat dictum collegium facere congregarij per numptium seu bidellum dicti collegij, in loco seu locis, in quo seu quibus, eidem domino priori videbitur, pro minori incom[m]odo ipsorum doctorum. Qui doctores dicti collegij sic coadunati teneantur dictum dominum priorem sociare ad dictum funus in eundo et redeundo et tempore quo fit sermo, et a dicto loco ad dictum locum congregationis, cum caputeis foderatis de vario, nisi ratio pluvie vel caloris aliud suaderet, nisi iuxta causa impedimentj, respectu persone vel casus fortuiti aliquem ex predictis doctoribus excusaverit. Que causa excusationis proponi et declar[ar]j debeat clare et apperte coram domino priore predicto et approbarj vel improbarj per dominum priorem, declarationi cuius dominj prioris] stetur omnino. Adhicientes quod dictus dominus prior, si ad hoc per attinentes dicti defuncti vel pro eorum parte fuerit requisitus, quod ipse dominus prior teneatur et debeat mandare uni ex doctoribus dicti collegij, quem dicti attinentes elegerint, seu de quo fuerint contentj, vel alij ex dictis doctoribus, quem dictus prior elegerit, quod debeat facere sermonem com[m]endando ipsum doctorem defunctum, secundum modum actenus observatum ad domum solite habitationis defuncti post ipsius exequias. Et ille, cui sic mandaverit, teneatur obedire dicto domino priorj et dictum sermonem facere, ut supra sub pena periu[r]j et decem librarum bon. cuilibet contrafacientj et pro qualibet vice, [438] committenda et exigenda, ut supra. Et si dicti at[t]inentes defuntj non eligerint unum ex doctoribus dicti

collegij, tunc dicti doctores non teneantur ire neque stare ad dictas exequias, nisi per priorem dicti collegij aliter fuerit ordinatum. Et si contingat aliquem doctorem dicti collegij non velle facere dictum sermonem, quod expensis collegij solvatur unj valenti viro qui dictum sermonem ei faciat. Et predicta omnia debeant inviolabiliter observari per omnes et singulos doctores dicti collegij, sub pena ipsi priori, qui fecerit contra predicta vel aliquod predictorum, librarum quinque et cuilibet alteri doctori librarum trium bon., quas penas ipso facto contrafacientes incurrant, et exigenda et dividenda, ut supra. Idem etiam volumus observari circa funus patris vel matris, fratris vel filij, alicuius doctorum nostrj collegij, nisi de sermone, sub eadem pena. Et etiam intel[ligimus] et observari volumus de notario et bidello collegij predicti, sub eadem pena, nisi de sermone.

Rubrica XIIIJ

Statuimus et ordinamus quod fratres et filij doctorum dicti collegij doctorati in dicta s[c]ientia possint per doctores dicti collegij in ipso collegio aggregari cum salario et ordine consueto, etiam numero completo corporatorum et supernumerariorum, dum tamen, eo casu, quo collegium corporatorum et supernumerariorum seu collegiatorum esset completum iuxta formam constitutionum de hoc loquentium seu disponentium, ipse filius vel frater dicto collegio congregatus per ipsos doctores, loco, ordine et privilegijs supernumerariorum habeatur et esse censeatur, non obstante aliqua constitutione, jure, in contrarium disponente.

Rubrica XV

Insuper misericorditer compensantes cum sunt quandoque in nostro studio scolares aliqui pauperes sufficientes in nostra scientia, et propter paupertatem non valeant promoveri, ne eorum scientia inremunerata permaneat, statuimus et ordinamus, quod omni anno duo scolares pauperes, unus in physica et alter in ciruxia, possint et debeant examinari private et publice in physica et ciruxia private, et poni in matricula prefatorum ciruxicorum, secundum constitutiones de hoc loquentes, nullo salario a scholaribus supradictis per doctores dicti collegij et eorum notario et Bidello percepto. Et quod quilibet doctor debeat interesse tali vel talibus promotionibus vel examinationibus privatis vel publicis, sub pena librarum quinque bon., pro qualibet vice cuilibet contrafacienti exigenda, et dispensanda et applicanda collegio antedicto, nisi legitimum dederit causam approbatam per dictum dominum priorem et collegium. Que paupertas probetur et probari debeat coram domino priore et duabus partibus collegij, quibus omnibus probatio talis iuridice constet.

Rubrica XVIJ

Item statuimus quod si aliquis voluerit promoveri in medicina, primo convocato collegio medicorum per Bidellum generalem collegij de mandato prioris, debeat de mane [439] recipere privatam in sancto Petro, a domino Archidiacono, vel eius vicario, et a priore nostrj collegij in libro Tegni gallienj, pro prima lectione et in libro anforiximorum secundo, pro secunda lectione, presentibus omnibus doctoribus aut duabus partibus dicti collegij, in loco deputato sedentibus cum dicto domino Archidiacono vel eius vicario. Et quod nullus doctor medicine sedere debeat in dicto loco, nisi fuerit de collegio medicine vel loro Archidiaconj, etiam cum desistentia a punctis dandis, sub pena cuilibet contrafacienti pro qualibet vice decem librarum bon., et sub pena priorj non prohibenti soldorum XX., et cuilibet doctori librarum quinque bon. In vespere vero, decretorum veniat ad examen ad locum deputatum in sancto Petro. Et primo legere debeat pro prima lectione testum totum puncti datj libri Tegni Galieni, deinde bene dividendo, verificando et

exponendo testum secundum instantijs. Et similiter de secunda lectione amphoriximorum ypocratis; salvo quod comentum galeni solum exponendo et dividendo procedat, lectis lectionibus arguant doctores seriose et ordinate, incipiendo a iuniori in collegio usque ad ultimum sermonem, donec omnes dixerint, excepto doctore vel doctoribus, sub quo vel quibus promovetur. Et hoc super prima lectione. Et cum unus doctor arguit, debeant omnes alij sub silentio pacifice alium audire et scolarem sic respondentem ut unus alium non impediatur, qua responsione tradita, possint, si velint, de nar[r]atis et dictis simul conferre; sub secunda lectione solus prior et antiquior de collegio teneatur arguere, et prior habeat potestatem imponendj silentium quandocumque placuerit, sub pena contrafacientj soldorum XLI. bon., quibus peractis et completis, absente scolare et doctore presentante seu presentantibus, debeant doctores eorum intencionem scribere secrete, et quilibet eorum suo sacramento, et illam por[r]igere domino Archidiacono vel vices eius tenentj. Insuper etiam teneatur quilibet doctor dicti collegij, ad mandatum dominj prioris, qui pro tempore fuerit, incontinentj dare in secreto approbationem cum faba alba, et reprobationem cum faba nigra, notario dicti collegij ut domino Archidiacono tradiderunt in scriptis vel eius vicario. Et quod notarius, sub pena prestitj sacramentj et privationis offitij et X. librarum bon., debeat relationem facere incontinenti domino priorj et consiliarijs de approbatione vel reprobatione dicti scolaris sub secreto, cum ostensione etiam fabarum, et ponere in scriptis in quaterno deputato. Et si quis contra predicta vel aliquod predictorum fecerit, conde[m]pnetur de facto per dominum priorem collegij prout sibi videbitur, usque ad quantitatem centum soldorum bon. ad plus; que pena dividatur ut supra.

Rubrica XVIJ

Statuimus et ordinamus quod nullus doctor nostrj collegij possit vel debeat associare aliquem scolarem civem vel forensem ad privatum examen in medicina nec ad puncta, in eundo et redeundo a dicto examine, nisi esset doctor vel doctores presentans vel presentantes, nisi presentatus sit rector universitatis s[c]ientie medicine, et nisi scolaris predictus foret filius vel frater alicuius doctoris nostrj collegij, quibus casibus possint tunc doctores accedere ad dictum examen predicti scolaris, vel nisi natus esset de domo vel progenie, ex aliquo de domo vel progenie, alicuius doctoris nostrj collegij, quo casu ille doctor seu doctores de ea progenie possit vel possint sociare predictum scolarem; et quod magistri petant licentiam a domino priore si volunt associare eum, sub pena XX. soldorum bon., [440] nisi in casibus predictis, cum hoc sit contra honorem collegij et dampnosum scholarj propter expensas, quas oporteret facere occasione predicta.

Rubrica XVIIJ

Statuimus quod nullus scolaris promovendus in scientia medicine possit promoveri sub aliquo doctore nostrj collegij, si obmiserit doctorem suum quem ultimo audivit de mane sex mensibus ultimjs, doctore suo inrequisito et volente ipsum promovere; et quod nullus alius doctor ipsum nostro collegio presentare audeat, sub pena cuilibet contrafacientj decem librarum bon. Et nullus doctor nostrj collegij audeat interesse dicto examinj, sub pena decem librarum bon. cuilibet contrafacientj applicanda, et dividenda, ut supra. Adhuc etiam quod si contingat aliquem scolarem forensem vel civem promovendum non habere doctorem suum ordinarium, quem ultimo audiverit de mane Bononie, quando voluerit presentari teneatur predictus scolaris accipere in eius examine, unum ex doctoribus tunc Bononie de mandato legentibus, aliter non acceptetur ad examen per priorem, sub pena priorj X. librarum bon., nec talis promotio valeat et valere intel[lig]atur. Et quod nullus doctor adesse debeat tali promotioni, sub pena cuilibet contrafacientj et qualibet vice librarum quinque bon., exigenda ut supra et dispensanda.

Rubrica XVIIIJ

Statuimus etiam quod nullus scholaris promovendus possit promoverj in s[c]ientia medicine nisi sub duobus doctoribus ad plus, propter illas evictare expensas, salvo quod si fuerit venerabilis persona qui voluerit plures habere doctores, quod tunc, et eo casu, teneatur dare vestes in eorum publica pro inducto, guarnachia, mantello et caputeo, s[c]ilicet XIIIJ. brachia optimj et bonj pan[n]j pretij saltim XL. solidorum bon. ad minus, omnibus illis doctoribus et singulis doctoribus eum promoventibus, et de hoc teneatur satisfacere priori nostrj collegij in eius privato examine, aliter non admittatur. Et quod alias nullus doctor nostrj collegij possit dicte promotioni interesse neque debeat, sub pena decem librarum bon. pro singullo contrafacienti. Et quod prior collegij mandet omnibus et singulis doctoribus nostri collegij quatenus, sub pena predicta decem librarum bon., non debeant alicuj tali promotioni, que fieret non servatis predictis, interesse, sub pena priorj non mandanti et predicta non observantj, XX. librarum bon., exigenda ut supra. Adhicientes quod quilibet scholaris promovendus in s[c]ientia medicine teneatur dare et solvere in eius publica doctori, sub quo promovetur, libras sex bon. Et si duos doctores acceperit, sex libras bon. pro unoquoque, et si plures doctores acceperit, fiat as[c]ensive ut supra. Adhicientes etiam, quod si promovendum contingat induere aliquem doctorem, teneatur et debeat induere illum de eodem panno de quo ipse est indutus in eius publica. Et si contingat eum promoverj per duos doctores, non possit unum induere sine alio, et teneatur ambos induere de eodem panno; declarantes quod nullus doctor presentatus possit venire ad sanctum Petrum indutus cum doctorando ad publicam alicuius doctorandj, sine alio vel alijs presentantibus indutis, sub pena cuilibet doctori contrafacienti XXV. librarum bon, exigendarum et applicandarum, ut supra, et privationis collegij; a qua privatione non possit restituj nisi prius satisfecerit doctori vel doctoribus sub quo vel quibus fuerit promotus. Qua satisfactione facta, possit reponj cum consensu [441] maioris partis collegij ad dictum collegium, scrutinio celebrato cum fabis albis et nigris. Et quod dictus promovendus in eius privata teneatur satisfacere doctori vel doctoribus, sub quibus promovetur, de sallario eis statuto in dicta publica, ut supra. Adhicientes quod si contingat aliquem ex doctoribus nostri collegij de hijs qui scolarem presentaverint absentem esse, de cuius redditu non speretur infra XV dies, a die qua promovendus publice priorj collegij predicti dixerit se publice velle promoverj, vel defunctum, dum tamen non sit absens alicuius cure occasione vel infirmitatis aut rei publice causa, quod tunc, et eo casu, scholaris predictus promovendus solvere teneatur collegio predicto libras sex bon., distribuendas inter doctores dicti collegij loco absentis vel defuncti. Si vero pro suo honore induere voluerit unum doctorem, sub quo non fuerit promotus loco absentis, tunc et eo casu possit induere unum ex doctoribus dicti collegij, quem voluerit. Qui doctor, sic indutus loco defuncti vel absentis, solvere teneatur collegio libras decem Bon.; si autem duos aut plures pro suo honore, tunc doctores sic indutj solvere teneantur collegio predicto libras decem bon. pro quolibet, s[c]ilicet loco absentium presentantium scolarem predictum vel defuncti.

Rubrica XX

Pro honore rectoris scolarium universitatis et honore dicte universitatis medicorum, et recompensatione expensarum eiusdem, statuimus et firmamus, quod de cetero quicumque fuerit rector dicte universitatis, volens promoveri in s[c]ientia medicine in nullo teneatur sallario doctoribus collegij medicorum in eius publica et privata, non obstante statuto posito sub Rubrica *quid et quantum debeant solvere scolares in publica et privata etc.*, salvo quod pro expensis factis et fiendis in dicto collegio volumus ipsos teneri debere solvere ducatos duos aurj collegio medicorum, dispensandos inter doctores eiusdem collegij in privata dictorum rectorum. Et quod quilibet magister, vel magistri, sub quo vel quibus talles rectores promoventur qui fuerint vestitj et indutj, de eodem panno vel consimillj de quo vel qualj indutj erunt rectores in eorum publica, solvere debeant collegio medicorum occasione predicta ducatos duos aurj pro quolibet, ita tamen quod

nullus illorum de dicto salario participant. Volumus tamen dictos rectores tenerj debere pro ipsorum honore de exenia prioris et doctorum vel doctoris, sub quo vel quibus fuerint promoti secundum constitutionem de hoc loquentem. Adhicientes quod in casu in quo rector universitatis scholarium medicine sit vel fuerit contra statum vel honor[es] collegij antedicti, non debeat gaudere privilegio rectoratus et ipso beneficio ipso facto sit privatus.

Rubrica XXJ

Advertentes quod, cum ipse homo intel[lectu] et bonitate participet, deo amantissimus esse videtur, (Aristotiles, eticorum decimo) et plus ceteris universi ipsi deo et supernjs intelligentijs redditur uniformis, cum ad eius imaginem sit creatus, qui est subiectum circa quod s[c]ientia medic[in]e versatur, eius proprietates et passiones considerans plus ceteris s[c]ientijs, (Avicen[n]a, prima primj de subiectis medicine), ut etiam tollantur scandala [442] bonorum medicorum, et evitentur pericula graviora que circa tale nobilissimum subiectum per ignaros medicos hactenus sunt secuta, volumus inviolabiliter servari quod nullus, civis vel forensis, sive cuiuscumque conditionis existat, audeat vel presumat exercere vel operari praticam medicine vel aliquam partem ad dictam s[c]ientiam medicine spectantem in Civitate bon., comitatu vel eius districtu, nec consilium dare in dictis s[c]ientijs alicui, nisi saltim tribus annjs dictam scientiam vel partem eiusdem audiverit, sub magistro publice legenti medicinam, secundum sedes ordinarias in studio bon., vel aliquo alio loco in quo studium generale vigeat; de quo plenam habeat informationem prior nostri collegij cum consiliarijs per priorem collegij civitatis famose in qua studuerit vel saltim per testes fide dignos. Et cum hoc licentiam habeat operandj in dicta s[c]ientia vel parte a priore et consiliarijs dicti collegij Bon., subpe na cuilibet contrafacientj, pro qualibet vice librarum quinquaginta bon., applicanda ut supra. Adhicientes etiam quod nullus audeat operari praticam phisice facultatis, nisi fuerit examinatus, licentiatu et approbatus per doctores collegij phisice facultatis Civitatis Bonon., sub pena cuilibet contrafacienti pro qualibet vice centum librarum bon., applicanda ut supra. Adhicientes etiam quod quilibet possit contrafacientes ac[c]usare quemlibet publice vel privatim, et habeat de dicta pena ducatos decem auri. Insuper etiam statuimus quod nullus cuiuscumque facultatis existat, audeat nec presumat vendere, tradere, vel administrare quovis modo aliquam medicinam simplicem vel compositam, laxativam in omnj genere laxandi, opiativam vel soniferam, digestivam, causticam vel coruxivam, stupefativam aut venenoxam in omnj genere venenorum, abortivam vel quomodolibet aliter perniciosam, nisi de voluntate et consensu doctorum dicti collegij, et precepto prioris cum uno de correctoribus societatis apotecariorum, sub pena cuilibet contrafacienti pro qualibet vice librarum quinquaginta bon., exigenda et applicanda ut supra. Nichilominus tribuens puniatur secundum formam juris si aliquod accidens vel mortem ex tali receptione paciens incurrerit. Et quod quilibet possit ac[c]usare publice vel privatim et habeat de dicta pena decem ducatos aurj, ut supra.

Rubrica XXIJ

Item statuimus quod quilibet qui promoveri voluerit ad examen medicine teneatur in privato examine dare et solvere collegio medicorum pro sallario doctorum eiusdem libras novem bonon.; et in eius publica libras sex bon., que pecunia tam in privata quam in publica dispensarj debeat tantum per doctores numerarios dicti collegij.

Rubrica XXIIJ

Item quod apud vulgum et in locis quibuscumque doctores nostri collegij alter alterum se invicem debeant honorare, et removere infamias toto posse.

Rubrica XXIIIJ

Insuper statuimus et ordinamus ut in examinibus cirugicorum modus limitetur et ordo, quod ille qui examinarj debet in cirurgia primo recipiat ponta de mane a priore et [443] doctoribus phisice facultatis tantum pro prima lectione super tercia parte fen quarti canonis Avicenne, et pro secunda lectione super prima parte cirugie Brunj, et quod in vesperis decretorum veniat ad examen; in quo examine intersint omnes doctores nostri collegij. Et primo debeat legere bene et puntate textum unius bone lectionis, postea dividere, verificare et sententiare dictum testum. Et similiter de 2. Lectione, et quod quilibet doctor teneatur arguere uno argumento tantum et unica replicatione in prima lectione. Super 2. vero lectione eodem modo fiat.

Rubrica XXV

Item qui promoveri voluerit ad examen cirugicorum teneatur et debeat solvere toti collegio libras decem bon. et notario et Bidello generali dicti collegij pro quolibet examine, pro quolibet ipsorum soldos decem bon. Et pro quolibet conventu, pro quolibet ipsorum conventuandorum, soldos viginti bon.

Rubrica XXVI

Ob rem publicam et ut unicuique proficiat labor suus, iuxta vivacem Casiodori sententiam, et ut melius studium vigeat et ut scolares animentur ad dictum studium et profectum, et ut ceteri ad s[c]ientiam et doctrinam proutius et profectius disponantur, et etiam scandala tollantur, que [h]actenus sunt secuta ex impericia cirugicorum, ideoque cum nutriant premiorum exempla virtutes, prior et collegium phisicorum mature deliberans providum et discretum virum atque fide dignum magistrum... condam... de talibus, vel de tali loco, approbatum in pratica ciruxie quo ad omnem sui partem in matriculla cirucicorum constitu[u]nt perfectorum licentiam, arbitrium et potestatem tribuentes eidem, ut hic et ubique locorum artem ciruxie valeat exercere. Ad quorum omnium evidentiam clariorem privilegium presens scribj mandaverunt per notarium infrascriptum et notarium medicorum dicti collegij, et sigillj dicti collegij bon. appensione munirj.

Rubrica XXVIJ

Constituimus et ordinamus etiam pro honore studij tocius Bonon., et pro utilitate scolarium in medicina studentium et ad utilitatem et bonum publicum, quod nullus doctor phisice facultatis, civis vel forensis, audeat vel presumat legere in vesperis praticam medicine, nisi fuerit doctoratus in civitate bon. vel alibi in famoxissimo studio, et legerit vel praticaverit in dicta s[c]ientia per spatium trium annorum ad minus postquam doctoratus fuerit, de quo plenam faciat fidem nostro collegio, sub pena cuilibet contrafacientj librarum quinquaginta bon., exigenda per dictum potestatem Bon. vel eius vicarium, cuius medietas applicetur comuni bon. et alia medietas nostro collegio.

Rubrica XXVIIJ

Statuimus et ordinamus quod omnes lecture ordinarie vel extraordinarie in medicina de mane et in nonjs, salariata pe[r] comune Bononie, debeant per doctores Collegij [444] phisice facultatis contribui doctoribus

bonis et sufficientibus, qui iurabunt corporaliter ad sancta dei evangelia, tactis scripturis, priori prefatj collegij, eligere in dictis lectoribus doctores meliores, ydoniores et magis profecturos pro scolaribus et honore studij Bon., servata tamen prius forma statutorum comunis Bononie.

Rubrica XXVIIIJ

Constituimus etiam quod omnes et singullj doctores de collegio phisice facultatis, et qui de cetero admictentur ad predictum collegium, qui voluerint legere aut praticare in arte ciruxie, sint et esse intelligantur de matricula perfectorum cirugicorum, nullo alio examine vel scrutinio eis impenso, et valeant et possint legere et praticare in arte ciruxie hic et ubique locorum; huic autem addimus sanctioni, quod nullus qui in matricula cirugicorum tantum fuerit constitutus, audeat vel presumat infirmos curare in phisica, sub pena cuilibet contrafacientj pro qualibet vice librarum L. bon., exigenda per dictum potestatem bon. vel eius vicarium, cuius medietas applicetur Comuni Bon., et alia medietas dicto collegio phisicorum. Et quilibet possit accusare palam et clandestine et habeat libras decem bon. de dicta pena. Et nichilominus teneatur talis cirugicus, qui infirmos curabit in phisica, si aliquis de dictis infirmjs moriretur in dicta cura, proinde ac si fuisset causa mortis illius, et tenea[n]tur prior, consiliarij et massarius et singullj doctores de nostro collegio, et hoc plenarie, facere jnquisitionem, et quod dominus potestas Bononie ex suo officio teneatur contra tales procedere secundum formam dicti statutj; et quilibet possit acusare clam et palam et tenebitur in secreto.

Rubrica XXX

Insuper statuimus et ordinamus, quod in principio studij facultatis medicorum antiquorum, antiquior doctor, qui electus fuerit ad sedes ordinarias salariatatas de mane, primo sermonizari debeat sermone universali pro toto studio phisice facultatis, et quod nullus alius doctor facultatis eiusdem audeat vel presumat universalem sermonem alium facere in dicta facultate. In sequenti vero anno sermonizari debeat alius doctor, qui ad sedem de mane ordinariam salariatam electus fuerit. Tercio autem anno sermonizarij debeat, modo quo supra, qui electus fuerit ad sedem practice salariatam in vesperis phisice facultatis, et sic inter illos tres horas sermonizatoriis servetur et modus. In logica vero et philosophia ordinarius, qui electus fuerit ad sedem salariatam loyce de mane, in loyca sermonizarij debeat; et qui in phisica electus fuerit ad sedem salariatam in philosophia sermonizari debeat in vesperis decretorum. Qui vero in astrologia electus fuerit ad lecturam salariatam, sermocinari debeat in vesperis parvis, Gramaticus vero de mane. Rectoricus vero, qui electus fuerit ad sedem rectorice salariatam, sermocinarij debeat in nonis, ita tamen quod nullus de dictis sermocinantibus sermocinari debeat nec concurrere in sermone suo eadem die vel hora in qua sermocinatus fuerit doctor phisice facultatis. Et quod omnes doctores, qui electi fuerint ad sedes salariatatas in medicina, aut qui legerint ordinarie vel extraordinarie in medicina, debeant interesse dicto sermonj, sub pena cuilibet contrafacientj in omnibus et singulis casibus predictis XX. soldorum bon., applicanda nostro collegio, in quo delinqui contingerit.

Rubrica XXXJ

[445] Statuimus et ordinamus, ut modus servetur et ordo in sermonibus et promovendorum licentia, quod antiquior doctor illius membrj collegij, in quo promovendus voluerit promoverj, teneatur et debeat sermocinarij in publica sua et illi dare licentiam in publica in illa facultate de mandato dominj Archidiaconj tocius studij bon., primo ex relatione magistrorum, 2°, et sic successive, descendendo per omnes doctores usque ad minorem salvo quod si aliquis doctor fuerit absens, vel quomodolibet aliter impeditus vel vacare non potuerit in dicto sermone, devolvatur ad subsequentem, licentia tamen prius habita a priore, et sic succ[es]sive c[ir]culariter progrediendo. Et quod quilibet magister, qui sermocinatus fuerit, [et] licentiam

dedit alicui in una facultate, tantum pro suo salario teneatur habere et habeat ducatum unum auri a dicto licentiatu.

Rubrica XXXIJ

Ad honorem et gloriam onipotentis dei et gloriosissime virginis marie matris eius, totiusque curie supernorum, nec non ad honorem et laudem beatissimj et sanctissimj luce evangeliste, et sanctorum cosme et damianj, s[t]atuimus et ordinamus quod omnj anno in principio nostrj studij, sermone celebrato, teneantur et debeant festum facere cum tubis et timpanis et calamella nostrj collegij ac universitatis eiusdem singuli et omnes doctores utriusque membrj collegij, medicorum videlicet et artistarum; et qui in matriculla fuerint perfectorum cirugicorum, omnesque scolares de universitate dictarum facultatum in Ecclesia beati Luce, que est in porta de castello, aut in Ecclesia sanctorum Cosme et Damianj, que est dal ponte dal fero, aut in aliqua alia Ecclesia in qua fuerit altare alicuius dictorum sanctorum. Et quilibet doctor utriusque membrj collegij solvere teneatur soldos tres bon; et quilibet, qui de matriculla fuerit perfectorum cirugicorum, solvere teneatur soldos duos bon. Et omnes et singullj scolares, qui de universitate vel matriculla fuerint scolarium dictarum facultatum, solvere teneantur soldum unum bon.; et cum doplerijs et candeloctis seriose et ordinate vadant ad dictum festum, servato semper ordine preposterioritatis inter omnes. Et quod Rector universitatis scolarium antecedit et priores utriusque collegij sequantur, ipsum tenentes in medio in eundo et redeundo ad dictum festum; qui tamne rector et priores precipere faciant per Bidellos suos omnibus et singulis doctoribus cirugicis et scolaribus supradictis per unam diem antea, quod [446] solvere debeant Massario collegij phisicorum predictas pecunie quantitates, qui pro doplerijs et candeloctis vel alijs oblationibus fiendis supradictis Ecclesijs dictam pecuniam debeant dispensare, sub pena cuilibet contrafacientj soldorum decem Bon. nixi solverit, nulla acceptata excusatione vel defensione. Item statuimus quod quilibet magistrorum nostri presentis collegij phisice facultatis, qui dignitates non habuerit in conventu ad inefabilem medicine s[c]ientiam extolendam, jllas possit assumere publice vel private dumtaxat solverit cuilibet doctori prefatj collegij soldos quatuor bon., et domino Archidiachono ac nostro priorj cuilibet unum biretum, cirotecas et annullum precij saltem XX. soldorum bon. Adiungentes et imminentes quod quicumque doctor prefati collegij, qui dignitates non assumpserit vel habuerit, immunis erit a sallario supradicto, sed inter habentes dignitates predictas tantum dictum sallarium partietur.

Rubrica XXXIIIJ

Statuimus et ordinamus quod nullus medicus de cetero cuiuscumque status et conditionis existat, audeat vel presumat portare seu deferre varium in capite in civitate bon., nixi sit doctor sub pena decem librarum bon. cuilibet contrafacientj pro qualibet vice, applicanda pro tercia parte comuni bononie et pro tercia parte Potestati bon. et pro tercia parte collegio predicto Medicine.

In Christi nomine amen. Anno nativitatis eiusdem mil[l]esimo trecentesimo septuagesimo octavo, jndictione prima, die quinto mensis Julij, pontificatus domini Urbanj pape sestj, anno primo. Venerabiles et circumspecti legum doctores, dominus Antonius de presbiteris, santus de daynissijs, Nicolaus de zapolino et Andreas de bobus, ac providi et discreti viri Andreas de Usbertis, Johannes de Bargelinis, Franciscus de calamatijs et Jacobus de Salamonibus, notarij et procuratores, omnes honorabiles cives civitatis bononie, statutarij et de numero statutariorum comunis et populi Civitatis bon., absente tamen egregio legum doctore domino francisco de ramponibus, ipsorum collega et socio, specialiter electi, adsumpti et deputatj ad

videndum, corrigendum, examinandum et de novo conpillandum, condendum et ordinandum statuta comunis et populi prelibate civitatis bononie, ac etiam auctoritatem habentes videndj, examinandj, corrigendj in melius reformandi et etiam approbandj omnia et singula statuta constitutiones et ordinamenta cuiuscumque col[legij] doctorum tam Juris civilis et canonicj quam scientie Medicine et artium studij civitatis bononie, quam etiam universitatum scolarium cuiuscumque facultatis et scientie studij prelibatj, ac etiam super visione, correctione et approbatione statutorum quarumlibet societatum Artium civitatis predicte a Magnificis dominis dominis Ancianis, consulibus et vexilifero Justitie comunis et populi bononie mensis aprelis Mileximi trecentesimo septuagesimi sexti, ad predicta et alia facienda auctoritatem habentibus a generali consilio comunis et populi predicti, ut de predictis constare dixerunt publica scriptura inde confecta, scripta manu Blasij condam nicolai de mezavachis, notarij et tunc notarius dictorum dominorum Ancianorum, visis ac diligenter inspectis et examinatis suprascriptis statutis et ordinamentis, seu constitutionibus venerandj col[legij] doctorum scientie [447] medicine Civitatis bononie, scriptis et publicatis manu Egidij condam ser Francisci de planorio, civis bon., publica, Imperiali et comunis bon. ac curie episcopalis bononiensis auctoritate notarij, et tunc notarius dicti collegij, in undecim proxime precedentibus cartis et quatuor lineis cum dimidia in presenti latere, ante presentem approbationem in presenti volumine inclusis et ligatis, sine aliqua interlineatur, additione seu rasura, que aliquam reddat susptionem, vigore eorum arbitrij, auctoritatis et baylie, eis in hac parte concessi et atributj, ipsa statuta, ordinamenta et constitutiones approbaverunt et pro approbatis ab omnibus haberi voluerunt et mandaverunt, et tamquam statuta, ordinamenta et constitutiones col[legij] doctorum scientie medicine ab omnibus haberi voluerunt et mandaverunt pariter et observarij, dummodo in aliquo non contradicant alicui statuto dicti comunis et populi bononie, et edita non reperiantur contra presentis felicis libertatis statum, vel in aliquo non sint contra officium dominorum potestatis vel capitanei comunis et populi bononie vel cuiuscumque alterius officialis forensis dicte civitatis bononie, vel in aliquo eorum officijs derogare non videantur; salvis semper omnibus et singulis statutis, contentis in statuto comunis et populi civitatis bononie, posito sub Rubrica *de Jurisdictione et arbitrio officialium et societatum populi bononie* et statutis ipsarum societatum legitime approbatis. Mandantes predicti domini statutarij michi notario infrascripto ut de predictis unum et plura conficiam Instrumenta.

Actum Bononie in capella sancte Juste, in domibus comunis et populi bon., que appellantur domus Massarie comunis, presentibus Federico condam Francisci de Statutis, Zappino condam robacontis de Zapolino, nicolao condam nanis de Savignano, et Jacobo Plevallis notario, testibus ad predicta adhibitis, vocatis et rogatis.

Ego Albericus condam Henrigipti de Lambertinis, publicus Imperiali et comunis bononie auctoritate notarius, et nunc notarius et scriba specialiter deputatus ad ordinandum et scribendum et scribi et compilarj faciendum statuta noviter compilata comunis et populi predicti, predictam approbationem de mandato dictorum dominorum statutariorum publice scripsi predictisque, dum sic agerentur, interfuij et signum meum consuetum apposui, scripsi, subscripsi.

In christi nomine amen, eiusdem nativitatis anno mil[lesimo] trecentesimo septuagesimo octavo, indictione prima, die ultimo mensis Junij, Pontificatus dominj Urbani pape VI anno primo, egregius medicine doctor magister Petrus de varignana prior collegij doctorum s[c]ientie Medicine civitatis bononie, existens Bononie in domo sue habitationis posite Bononie in capella sancte Marie maioris, commisit, jnposuit et mandavit Nicholao condam Bertolomei Lombardj, Bidello collegij doctorum scientie medicine antedicte, licet absentj, quatenus ex sui parte vadat, citet et requirat omnes et singulos infrascriptos doctores collegij s[c]ientie medicine civitatis Bononie, quorum nomina inferius per ordinem describuntur, eisque mandat et precipiat quod hodie in XX. hora coram eto personaliter comparere debeant in Ecclesia Cathedralj Bon., ad jurandum statuta nova doctorum collegij s[c]ientie medicine antedicte noviter facta, nec non ad ipsa publicandum,

approbandum, ratificandum et homologandum, et insuper ad creandum priorem novum scientie medicine antedictae ut moris est. Aliter, dicto termino elapso, idem dominus prior, una cum doctoribus comparentibus ad jurandum, publicandum, approbandum, ratificandum et [448] homologandum statuta predicta, nec non ad creationem prioris novi in scientia medicine antedicta, procedet, ut moris est, ipsorum, seu alicuius eorum contumacia non obstante, ipsisque minime citatis, monitis vel ulterius requisitis. Nomina vero doctorum scientie medicine antedictae, de quibus supra fit mentio, sunt hec, videlicet:

Magister Petrus aristotillis.	Magister Johannes de chazano.
Magister Martinus de erris.	Magister Guidoctus de henrigiptis.
Magister Guido de preuntis.	Magister Johannes de muglo.
Magister Baldesera de confortis.	Magister Bertolomeus de castro Sancti petri.
Magister Johannes de barberijs.	Magister Franciscus de cultris.
Magister Paulus de buvalinis.	Magister Franciscus aristotillis.
Magister Cristofarus de honestis.	
Magister Matheus de varignana.	

Die prefata, post vigesimam horam, retulit prefatus Nicholaus Bidellus prefato magistro Petro priorj, existentj in Ecclesia Cathedralj Bon. antedicta, et mihi notario infrascripto, se hodie de mandato personaliter citasse omnes et singulos suprascriptos doctores, de quibus supra fit mentio, excepto magistro Petro aristotillis, quem retulit citasse ad domum eius habitationis pro hodie ista hora, et eis et cuilibet eorum dixisse et mandasse omnia, que supra habuit in mandatis.

In Christi nomine amen. Eiusdem nativitatjs anno Millesimo trecentesimo septuagesimo octavo, indictione prima, die ultima mensis Junij, Pontificatus dominij Urbanj pape VI anno primo. Convocatis et congregatis ad honorabile collegium doctorum scientie medicine civitatis Bonon. dominis doctoribus ipsius collegij doctorum scientie medicine dicte Civitatis Bononie in confessio[n]e cathedralis Ecclesie Bononie iuxta altare sanctorum vitalis et agricolae, ad convocationem et requisitionem Nicholay condam Bertolomei Lombardj, Bidelli dicti collegij, qui omnes et singulos doctores dicti collegij convocavit pro presente die et hora de mandato sapientis virj magistrj Petrj de Varignana, honorabilis prioris dicti collegij; in qua congregatione interfuerunt ultra quam due partes doctorum et magistrorum dicti collegij representantium, et qui sunt solitj representare, totum [449] dictum collegium, quorum doctorum qui interfuerunt nomina sunt hec, videlicet ipse magister Petrus prior, Magister Martinus de erris, magister Baldassara de confortis, magister Johannes de Barberijs, magister Matheus de Varignana, Magister christofarus de honestis, magister Johannes de chazano, magister Guidoctus de Henrigiptis, magister Joannes de muglo et magister Franciscus de cultris. Ipsi omnes sic collegialiter congregatj, una cum dicto domino priore, et ipse dominus prior una cum dictis doctoribus collegialiter congregatis, vixit et dilligenter examinatis suprascriptis constitutionibus dicti collegij de voluntate et consensu omnium doctorum dicti collegij noviter factis, editis et compilatis, scriptis manu mei Egidij condam ser Francisci de Planorio publici imperialj et comunis Bononie ac Curie episcopalis Bon. auctoritate notarij, et nunc notarij dicti collegij, predictas constitutiones et omnia et singula in eis et qualibet ipsarum parte contenta, approbaverunt et publicaverunt, easque et contenta in eis unanimiter et concorditer et collegialiter, nemine discrepante, publicaverunt, approbaverunt, ratificaverunt, et rati habitione homologaverunt et confirmaverunt, et pro validis, publicatis, approbatis et ratificatis haberi per quemlibet et censi voluerunt et mandaverunt, volentes et mandantes eas et omnia et singula in eis

contenta, et prout in eis scriptum et ordinatum est, perpetuo et inviolabiliter observari. Et etiam juraverunt ipsi omnes et singuli simul et collegialiter congregati corporaliter ad sancta dei evangelia, manu tactis scripturis, omnes et singulas dictas constitutiones, et omnia et singula in eis et qualibet earum parte contenta, servare et servari debere. Mandantes etiam mihi notario infrascripto quod de predictis publicum conficiam instrumentum unum et plura et quod predicta in publicam formam redigam.

Actum Bononie in confessorio cathedralis Ecclesie Bon. iuxta altare sanctorum vitalis et agricolae, presentibus presbitero Johanne de Petra, diocesis....., capelano dicte cathedralis Ecclesie Bononie, ad altare sancti, Johanne condam Nicholay de Bagno notario et dalfino condam de Aticonis notario, testibus omnibus ad predicta vocatis et rogatis.

(L + S) Ego Egidius condam ser Francisci de Planorio civis Bon., publicus Imperialj et comunis Bon. ac curie Episcopalis Bon. auctoritate notarius, et nunc notarius dicti collegij, de mandato omnium dictorum doctorum et Magistrorum qui, ut supra, predictis interfuerunt, predicta publice scripsi, subscripsi.

Eisdem millesimo, pontificatu, mense, die, loco et testibus suprascriptis, suprascripti omnes et singuli doctores et magistri, ut supra congregati, ad Brevia, secundum statuta suprascripta, elegerunt Egregium medicine doctorem magistrum Martinum de Lers in priorem collegij antedicti in s[c]ientia medicine antedicta pro tribus mensibus proxime futuris.

(L + S) [450] Ego idem Egidius notarius suprascriptus predictis omnibus presens fui, eaque, mandato quo supra, publicavi, publice scripsi, subscripsi.

M.CCC.LXXXXV], die XXVIII] octobris. Consignata fuerunt michi Jacobo de blanchittis dicta statuta, ad camaram actorum comunis bononie retinenda per dominos Antianos populi et comunis bononie.